

signationem atque perpetrationem contulerit. Præterea *ju-*  
*dice Dn. D. Pfeiffero Dub. Vexat. p. 292.* rem acu minime tan-  
gunt nugivenduli recutitorum Mäistri, docendo, peccatum  
in eo fuisse, quod quasi illuserit sancto populo; aut, quod volue-  
rit aquam educere ex alia petra, quam ea, e qua producere jus-  
sus erat; aut, quod Israëlitas vocarit stultos, scil. מִרְאֵשׁ, μωρός;  
cum potius rebelles a rad. מַרְהָ sic denominentur.

## §. 10.

*Hottinger in Smegmate Orientali p. 450.* ¶ seqq. μῦθον  
eiusmodi σεσοφισμένον ex Schalisch. Hakk. profert: *Dixit Deus*  
*Ben. Mosi: Sume baculum, & congrega cœtum &c.* Num. 20, 8.  
*ubi vocabulum עֲדָה multitudinem notat, & exigua fide præditos,*  
*quemadmodum dicitur de iis: Quousq; (Num. XIV, 27.) cœtum*  
*istum malum? Nam coram illis opus habeo declarare majestatem-*  
*meam; coram Synedrio vero (קהל) quo nomine intelliguntur Se-*  
*niores & Sapientes seculi, non necesse habeo, quia illi me jam norunt*  
*& credunt in me. Moses vero & Aaron non crediderunt, me-*  
*ritum congregationis universæ tanti esse aestimii, ut conferri possit*  
*cum merito eorum, & mutari petra in aquam; proinde non convo-*  
*carunt (עדָה) congregationem plebis; sed: Et convocarunt*  
*Moses & Aaron cœtum (קהל) i.e. Principes & Sapientes, quos*  
*explorate perspectū haberent esse justos, ac proinde miraculo dignos.*  
*Postea Moses sublato baculo bis percussit (petram) semel suo meri-*  
*to vel justitia; iterum merito Aaronis & totius (Procerum) cœ-*  
*tus. Succensuit autem Deus Bened. PROPTERA, QVOD NON*  
*VOCAVIT CONGREGATIONEM POPVLI, QVOD TAMEN*  
*IVSSISET; utpote qui in honorem illius congregationis eos ap-*  
*pellauit filios Israël, quod utique nomen ad illos (plebejos cœtus*  
*Israëlitici) referri debet: illi autem non credebant, Deum po-*  
*pulo, qui non esset dignus, probare suam misericordiam.*

## §. 11. Psal.